



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Bosci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

ejus uxori, Carthusiani memores gratiq; P. P. An. 1562. a.
d. xx. Decemb.

Tituli rerum ab eo gestarum.

1. Imperio auspicioq; suo hostiles exercitus debellat.
2. Præturam militarem à patre accipit.
3. Finibus prolatis Dux Mediolanensis ab Imp. Wenceslao creatur.
4. Papiæ liberalium artium scholas exstruxit.

AD CARMELITARUM.

Reverend. Carmelita D. Archangelus Lafraconus Papiensis, infula Theologorum redimitus, Ticinensi Gymnasio vivens legit, legens obiit. legebat ut doceret, sciebat ut bene ageret. Anno M. D. LXV. VII. Cal. Decemb.

IN FRANCISCI.

Tegitur hoc lapide Luchinus Curtius Juriscons. patriæ decus, vitæ speculum, pacis amator, præcipuus vitiorum malleus. Ob. M. D. II. III. Novemb.



B O S C I.

AD S. CRUCIS.

Pius v. Gislerius Boschensis, ex ordine Prædicatorum Pont. Opt. Max. à fundamentis erigi curavit. An. 1574.

IBIDEM.

Pius Papa v. Boschensis, ex familia Gisleriorum oriundus, ordinem Prædicatorum professus, diem mortis universalisq; resurrectionis præ oculis habens, à die assumptionis suæ ad apicem Apostolatus, monumentum istud erigi mandavit, pro cadavere suo reponendo, quomodo divinæ clementiæ visum fuerit, ipsum ab hoc seculo nequam eripere.

CENTUM CELLIS.

Pius Papa v. P. M. hanc turrim S. Michaëlis, cum aliis
xv. in littore maris pro communi securitate á fundamen-
tis erigi & muniri mandavit. An. 1569.



P I S A N A.

I N P I S A S.

Pisa vetus, victi spoliis Orientis onusta,

Invidia armavi livida tela trucis.

Sic nocuit vicisse, aliis sic vicimus ergo.

Sic res est humili tutior arcta loco.

Mortales sperate vices, nec credite Fatis.

Nam quod nos aliis, illa dedere mihi.

I N S C R I P T I O N E S

P I S A N Æ.

TUMULUS HENRICI VII. IMP.

Hoc in sarcophago non quidem spernendo, Henrici
olim Lucenburgensis Comitis, & post hæc septimi ejus
nominis Rom. Imp. ossa continentur, quæ secundo post
ejus fatum anno, videlicet 1315, die veró 25. Sextil. Pisas
translata summo cum honore fuere, hoc in fano ad hanc
usq; diem collocata permansere.

Quidquid facimus, venit ex alto.

A L I U D.

En Catacusinus jacet hic Demetrius heros,

Martis honos Graji gloria magna soli.

Æacides alius, Pylus quoq; & alter Ulysses,

Florentinorum praesidiumq; ducis.

P R O P E P I S A S V I A F L O R E N -

tina in ponte.

Siccitati paludum, agrorum cultui, cæli salubritati con-